DE ABORTU ARTE PROVOCATO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QAUM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

PRO GRADU DOCTORIS

MEDICINAE CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXVI. MENSIS FEBRUARII ANNI MDCCCLIII.

PUBLICE DEFENDET

Guilelmus Broes van Heekeren

BATAVUS.

ADVERSARIIS:

GUIL. SACK, MED. CHIR. ET ART. OBST. DR. PRACT.
PAULO KILIAN, MED. ET CHIR. CAND.
ABRAH. VAN HEEKEREN, MED. CHIR. ET ART. OBST. DDO.

BONNAE.

TYPIS KRÜGER,

MDCCCLIII.

PRAECEPTORI SUO

HERMANNO FR. KILIAN

MED. ET CHIRURG. ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI, CONSILIARIO REGIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDINARIO, DIRECTORI CLINICI OBSTETRICII BONNENSIS, EQUITI, COMPLUR SOCIETATUM LITTER. SODALI. ETC. ETC.,

GUILELMO BROES

ORDINIS LEONIS BATAVI PRAEFECTUS

ET

PARENTIBUS OPTIMIS

D. D. D.

GUILELMUS BROES VAN HEEKEREN.

§. 1.

Abortum artificialem eam artis obstetriciae operationem dicimus qua gravida primis graviditatis mensibus foetu vitae non capaci eo consilio liberatur ut vitae discrimina ex partu maturo ipsi oriunda effugiat.

Quae quidem operatio discrepat non mediocriter a partu praematuro artificiali quippe qui ad infantem pertineat qui ipse per se possit extra matrem suam vitam vivere.

Ambae autem operationes ut fine quidem non admodum distant, ita indicationibus usuque inter sese sunt diversissimae. Ac partus praematurus artificialis dubitari nequit quin gravitate praestet praeclarisque successibus ita probatus est, ut iam de eius quas

civitate ambigi nequeat. Neque enim est hodie peritus medicus obstetricius, quin certis nimirum conditionibus admittendum eum, immo cum necessitate subinde indicatum iudicet. Nempe desiderium penitus persensum illa operatione expletur, qua quidem fit, ut aut matrem aut infantem morti tradere non iam coactus sis.

§. 2.

Quod quam verum sit apertissime perlustratis eis quae cum illo omnino componi possunt operationibus comprobabitur. Inter quas inprimis perforationem et embryotomiam affero, quibus id commune est quod de infantibus servandis in his quidem operationibus ne cogitari quidem potest.

Quare ex hac ratione cum longe inferiores sint partu praematuro artificiali tum si matris quoque vitam respexeris facile ab illo superantur. Perforationem enim primum quod attinet, ubi operatio illa qua notum est excerebrationem ossiumque degluptionem contineri parum prospere successit, actum est de femina.

Ac praeterea in pelvis angustia quae praecipue est eius operationis indicatio vide mihi quam multa per illam actionem accidere soleant infortunia, qualia ad

partum praematurum artificialem pertinere non compertum est.

Nempe haec quae infra recensui pauca sunt de multis: Metritis brevius aut longius temporis spatium in puerperio durans quam quidem mater id quod Haase et Andrée experti sunt fere non superat [1].

Gangraena totius apparatus genitalis per contusionem effecta; qua re matri fere certa mors est [2].

Putrescentia uteri [3]. Obitus puerperae paucis horis post partum illa operatione adductum consecutus.

Hofmanno contigit ut quinque perforationibus

---

1) Haase. Perforation. Neue Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. 6. S. 432.

Andrée. Eine Perforation. Siebold. Journal.Bd. 7. S. 865.

2) Busch, Allgemein zu enges Becken. Neue Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. 5. S. 164. 3 Fälle.

3) Haase, Zur Perforation. N. Zeitschr. für Geburtskunde. Bd. 5. S. 406.

Busch, Rachitisches Becken. Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 5. S. 168.

Wiegand, Geschichte einer von den Doctoren Reinhardt, Schwarz und Wiegand zu Fulda unternommenen Perforation u. s. w. Siebold. Journ. Bd. 13. S. 238.

interesset, quibus matres omnes et tres quidem putrescentia uteri secunda tertia vel nona post operationem hora obierunt [1]. Diameter pelvis minimus 2″ 6‴ erat.

Fere eadem valent de embryotomia quae et ipsa post mortem infantis solet institui. Nec enim uno nomine Gendrini, Davisiique ratio improbanda est [2]) qui etiam in vivis infantibus ea usi sunt operatione. At ne matri quidem haec operatio felicem fere successum habet.

Osborn quidem, Clarke, Obertaeuffer, Burger, Busch, Haase, Kyll, Michaëlis, Reinfeldt [3]),

---

1) N. Zeitschrift f. Gebk. Bd. XV. H. 3.

2) Journal général de Médecine, Chirurgie et Pharmacie. Vol. 107. S. 356.
Davis, Anniotomy, Embryotomy, the mode of using the osteotomist etc. Ejd. Clemens of operative midwifery. Lond. 1825. p. 285.

3) London medical Journal 1786.
Stark neues Archiv. etc. l. c. Bd. 2. S. 440. 437.
Zeitschr. f. Geburtsk. Bd. 4. S. 123. Bd. 5. S. 242. Bd. 3. S. 424. Bd. 11. S. 262. Bd. 5. S. 26. Bd. 6. S. 51. 54. 60. 66. 68. 70. 337.
Oesterreichische Wochenschrift etc. 1842. S. 56.

Lumpe magnum embryotomiarum institutarum recensum evulgaverunt quarum paucissimas tantum matres prospere superaverunt. Similia de eius operationis periculo a Stein seniore, Obertaeuffer, Otto, Klein, Michaëlis, Bartsch, Wilde, Mauriceau [1]) commemorata sunt quibus omnibus sive inter embryotomiam sive non ita multo post operationem confectam feminae obierunt.

Neque consideranti vehementes apparatus genitalis quae cum hac operatione coniunctae esse solent con-

---

1) Stein sen. Praktische Mittheilungen von der Kaisergeburt. Cassel 1775. S. 5. Not. 1.

Obertaeuffer, Stark Neues Archiv. Bd. 2. S. 451. 454. 446.

Otto, Medizinische und chirurgische Bemerkungen. Leipz. 1793. S. 166.

Bartsch, Jahresbericht über die Vorfälle der zweiten Geb. h. Klin. an d. Wiener Univ. 18. Oct. 1833 bis 31. Dec. 1834.

Mauriceau Du cruel accouchement d'une femme, qui mourut par la faute d'un ignorant et témeraire chirurgien.

Ejd. Observations sur la grossesse et l'accouchement des femmes et sur leurs maladies etc. Nouv. edit. Paris 1715. p. 116. 1828. p. 116.

tusiones memorabilis magnus casuum adversorum huc pertinentium numerus videbitur. Qualia ut pauca afferam haec sunt: dilaceratio uteri, vaginae, procidentia viscerum per dilacerata vulnera quae omnia auctoribus Stalpart van der Wyl[1]) Heister, Mauriceau, Winslow, Röderer [2]), Frank, Flamm, Giraud acciderunt.

Pergo ad tertiam quam cum partu praematuro artificiali composuisse iuvat operationem, sectionem dico caesaream. Cuius quidem sectionis proprium est idem quod in partum praematurum artificialem cadit, nimirum ut cum matre infantis quoque vita conservetur: nec eius usus ut ex indicationibus apparebit expelli omnino ex arte obstetricia, at tamen minui partu praematuro artificiali poterit. Atque quo successus si cum ea partus ille artificialis commutetur feliciores esse comprobetur infra conspectum sectionum caesarearum factarum proponam.

---

1) Stalpart van der Wyl, Observationum rariorum Centurio 1. et 2. Lugduni Batav. Bd. 1.

2) Roederer, Opuscula medica Goettingae 1763. p. 189. Rust Magazin etc. Bd. 15. S. 551.
Dictionaire des sciences médicales etc. Vol. 17. P. 419.

C. Kayser v. cl. in libro suo inde ab anno 1750 usque ad extremum annum 1839. 338 casus certos evulgavit.

Annis 1750–1800	: 37 felices	80 infelices	; ergo obitus	0,68
„ 1801–1832	: 54 „	94	„	0,36
„ 1833–1839	: 37 „	36	„	0,49
	128	210		

281 infantium ad vitam revocati sunt 195, mortui sunt 86. Priorum medicorum

Osborn	10 Sectionum	9 mortiferas	numerat
Boër	14 „	13 „	„
Baudelocque	111 „	63—64	„
Klein	116 „	26 „	„
Hull	112 „	43 „	„

Michaëlis recenset 258 casus quorum in se-

culum praeteritum cadunt	148	78 infel.	70 fel.
in hoc seculum	110	62 „	48 „
	258	140	118

10 sectionum duas eidem feminae et prospero quidem successu adhibitas esse affirmat. Ex 100 casibus 67 infantes vivi, 4 debilissimi et vitae vix capaces, 29 mortui prodierunt.

Kilian vir celeberrimus praeceptor meus ve-

nerabilis sectiones 14 instituit 7 feliciter 7 infeliciter; infantes servati 13 mortuus 1.

Metz medicus Aquisgranensis sectiones caesareas inde ab anno 1837 usque ad annum 1850 a medicis Aquisgranensibus Metz, Vossen, Kesselkaul et Messovio institutas 8 affert [1]) quibus infantes quidem omnes servati sunt, matrum autem una tantum interiit.

Quae cum ita sint apparet quantum partus praematurus artificialis relicuis quae cum illo componi possunt artis obstetriciae operationibus praestet; ut non ineptus videar si quaedam de eius historia infra exhibebo.

§. 3.

Ergo sub finem praeteriti seculi partus praematurus artificialis prope eodem tempore in duabus diversis terris inventus est.

Macaulay enim medicus Scotus quamvis primus auctor esset tamen eiusdem inventi laus medico Germanico Fr. A. May, quippe qui Macaulayi inventionis ignarus anno 1798 prospectum una cum indica-

---

1) Deutsche Klinik Nr. 3. und 4. vom Jahre 1852.

tionibus in publicum emitteret, nequit denegari. Utriusque autem horum virorum celeberrimorum indicationes gravissimis differentiis inter se distant quoniam May in gravidae morbis illam operationem adhiberi vult, Macaulayi contra indicatio praecipua in pelvis angustia posita est. Quam indicationem secutus Macaulay anno 1756 operationem illam instituit cum prosperrimo successu ornatam tum magna imitatorum vi honoratam, inter quos hos nominatim attulisse sufficiat: B. Kelly, Denman, Hull, John et James Barlow, Merrimam sen. et iun., Headly, Marshall, J. et Fr. H. Ramsbotham, Clarke, Hardmann, Clough, Bartley, Hopkins, White, Gibbon, utrumque Davis, Blundell, R. Lee, Lever, Rigby alios.

In Germania eidem operationi non statim ab initio magna fides habita est ac licet anno 1804 primus partus artificialis a Wenzel institutus sit tamen inde ab anno 1818 demum ab artis obstetriciae doctoribus receptus et universe cultus est. Quae res profecto gravissima Froriepio viro clarissimo debetur, qui huic operationi fidem medicorum ita parare sciebat ut splendidissimos Britannorum medicorum successus ad imitationem proponeret. Dein viri velut Ritgen,

El. v. Siebold, Kluge, d'Outrepont, Carus et Mende qui suis commendationibus huius operationis iura extra omnem dubitationem ponerent extiterunt.

Neque hic magnus artis obstetriciae progressus intra Britanniae et Germaniae fines se continuit; immo latius evagatus in mea quoque patria graves auctores velut Vrolik et Salomon viros clarissimos nactus est. Italorum denique Bili, Ferrario, Bongiovanni, Ciniselli et Lovati, inter Belgicos Marinus illam operationem et coluerunt et usu suo plausuque comprobarunt. Verum enim vero illis quas dixi terris in colenda ea operatione progredientibus, mirum in modum haud pariter progressa est Gallia. Cuius rei ratio in eo posita fuisse videtur quod Baudelocque cuius magna erat inter cives et fides et auctoritas publice operationis illius usum reprobaret [1]). Quo factum est ut abhinc paucis demum annis Alexis Stoltz Professor celeberrimus Argentorati primus inter Gallos partum praematurum artificialem et successu quidem felici institueret [2]) Neque tamen in reliquis quoque

---

1) Ej. L'art des Accouchemens etc. T. II. p. 285. seq.

2) Ej. Traité compl. de l'Art des Accouchemens etc. Brux. 1835—8. p. 439.

terris in quibus cum plausu acceptam operationem dixi deerant omnino eiusdem operationis adversarii. Inter quos Britannorum Leighton et Nisbet commemoro, Germanorum Bernstein [1]), Osiander sen. [2]) Ebermaier [3]), Gumbrecht, Stein jun. [4]) Jörg [5]), Capuron [6]) vel acerrimum omnium impugnatorem, Piringer, Th. Richard [7]).

§. 4.

Confecta demum lis est egregio quem Hofmann confecit conspectu, quem hic referre non abs re esse visum est.

Affert igitur Hofmann [8]) partus praematuri artificialis casus 543. Ac primum quidem 524 operationes proponit quibus 17 mulieres mortuae sunt, ex quo

---

1) Ej. prakt. Handb. d. Gebtsk. p. 340 seq.

2) L. c. Bd. 11. Abth. 11. p. 473.

3) Ej. Taschenb. f. Geb. 1807. 8. Bd. II. p. 449 seq.

4) Ej. Annalen d. Gebrtsk. III. Stück. p. 23 seq.

5) Ej. Schriften z. Beförderung der Kenntniss des Weibes. Thl. II. p. 290 sq.

6) Ej. Cours théor et pract. d'Accouch. p. 611.

7) In Siebold's Journ. Bd. XV. Stück 3. p. 531. seq.

8) Neue Zeitschrift für Geb.-Kund. Bd. XXIII. Heft 2. u. 3

computo removendae sunt tres quae generali hydrope obierunt, una post amputationem femoris, una post rupturam uteri. His igitur ex 17 numero subductis inter 524 partus praematuros artificiales 12 tantum cum morte feminarum desierunt; de vita autem sive morte neonatorum affirmare quidquam nequeo. Hofmann quidem 373 tantum huius generis operationes addita infantium fortuna recenset, quibus vivi parti sunt 236; asphyxia tacti 25, quorum 14 ad vitam revocati sunt, reliqui autem obierunt, mortui denique parti sunt 112. Ex iis autem qui asphyxia tacti parti sunt si eos quorum vita resuscitata est vivis, contra qui obierunt mortuis adnumeramus in 373 operationum numero 250 vivi 123 mortui infantes efficiuntur.

Infra Hofmann 19 operationes addit quibus 2 matres mortuae sunt, altera quidem generali febri puerperali epidemica; ut per illas operationes una tantum mater dicenda sit obiisse. Infantium autem vitam sive mortem quod attinet 10 mortuos, 8 vivos Hofmann diserte commemoravit. Hos 19 casus si illos adjeceris quos supra dixi 524, 543 partus praematuri artificialis operationes efficiuntur, quibus 13 tantum matres mortuae sunt. Item 373 casibus iis quibus de infantium fortuna certi quid traditum erat si posteriores 17 casus addi-

mus inter 390 partus 258 vivi 133 mortui infantes efficiuntur quorum partuum uno gemini nati sunt quibus alter tantum servatus est. Ergo summatim $66^2/_{13}$ p. c. sospitati sunt.

§. 5.

Indicationes quibus huc usque partus praematuri artificiales instituti sunt non usquequaque ab auctoribus proditas reperi: tantum autem constat pelvis angustiam quovis alio matris habitu duodecimo frequentiorem esse huius operationis indicationem. Quod quidem mirum esse nequit quando inimicissimas matri operationes sectionem caesaream dico, embryotomiam perforationem evitare artis obstetriciae doctores studebant. Verum eadem operatio magna officia matribus quae gravissimis morbis afflictae sunt praestitit. Itaque in conspectu Hofmanni 42 casus recensentur quibus operatio ex ndicationibus quae non pelvis tantummodo angustia continebantur facta est.

Tredecies partus serotinus inter quos bis simul angustia pelvis, semel consumptio universalis corporis et semel varices qui periclitabantur varicum rupturam.

Quinquies	eclampsia (Busch, Ulsamer, Zaz) inter quos semel extensionis uteri causa (Ulsamer).
Quater	ubi foetus semper emoritur per graviditatem (Denman, Dubourge, de Rollot, Hayn).
Ter	vomitus qui nullo remedio sedari potest per graviditatem.
Bis	hydrops universalis cuius causa asthma ortum maximi gradus. (Carus El. von Siebold).
Bis	asphyxia et asthma gradus maximi (Levrat)
Bis	asthma e causa extensionis corporis gravidi (Levrat, Wehn.)
Semel	Osteosarcoma femoris citato gradu crescens (Ashwell).
Semel	hydrops ascites et ex eo asthma ortum Hoeniger et Jacoby.)
Semel	morbus malignus partium genitalium externarum (Ashwell).
Semel	hydrothorax (Boeck).
Semel	mephritis per graviditatem (Meissner).
Semel	hydrometra per graviditatem et asthma terribilis gradus (Ulsamer).
Semel	morbus uteri per graviditatis tempus (Lee).
Semel	Osteosarcomatis genus (Lever).
Semel	tumor fibrosus uteri (Lee).

Semel morbus cordis (Lee).
Semel degeneratio ovarii (Lee).

Summa 42 casus.

Pelvis mensuras earum in quibus propter ipsam pelvis angustiam operatio facta est ex Hofmanni conspectu referre mihi nunc longum est. Ex tabula eius summaria haec efficiuntur: minimus pelvis diameter

semel	1″ 6‴
bis	1″ 6‴—2″
semel	vix 2″
novies	2″
semel	vix magis quam 2″
semel	non plene 2″ 6‴
bis	vix 2″ 6‴
semel	circa 2″ 6‴
quater	2″ 6‴
sexies	2″ 6‴ (maximus diameter.)
semel	2″ 8‴
quater	2″ 6‴—2″ 9‴
quinquies	2″ 6‴—3″ 3‴
semel	non plene 2″ 9‴
ter	summum 2″ 9‴
ter vicies	2″ 9‴
semel	non supra 2″ 9‴

bis	2″ 9‴ ad vix 3″
novies	2″ 9‴—3″
ter	2″ 10‴
semel	2″ 11‴—3″ 1‴
semel	multo sub 3″
bis	non plane 3″
quinquies	vix 3″
bis	circiter 3″
septies decies	3″
semel	vix magis quam 3″
semel	aliquantum supra 3″
semel	3″ 2‴
undecies	3″—3″ 3‴
semel	circiter 3″ 3‴
quindecies	3″ 3‴
semel	3″ 3‴—3″ 6‴
semel	3″ 5‴
semel	3″ 5‴—3″ 6‴
semel	non plane 3″ 6‴
duodevicies	3″ 9‴
semel	3″ 9‴—4″
semel	4″

Summa 262 Casus.

De reliquis pelvis vitiis 31 casus infra recensui:

duodecies	pelvis iusto minor (Hüter, Nichet, Ritgen, Ulsamer, Wenzel).
Quater	inclinatio maxima pelvis (Drescher, Haase, Michaëlis Stoltz).
Quater	exostosis pelvis (Hüter, Stoltz).
Ter	motio e loco suo pelvis (Falko, Lovati, Schöller).
Bis	os sacrum reclinatum (Elsaesser, Walter).
Bis	pelvis deformitas (Merriman jun. Schilling).
Semel	habitus impar tuberum ischii (Hofmann).
Semel	angustia pelvis (Ritgen).
Semel	pelvis infundibuliformis (Busch).
Semel	obliquitas pelvis (Götz).

Summa 31 Casus.

Morbi quorum ex causa pelvium forma vitiosa facta in casibus 55 septies quadragies Rachitis, octies Osteomalacia fuerunt.

§. 6.

Ex illis, quae supra exposui, satis apertum videtur, partus praematuri artificialis usum in pelvis angustia gravioribusque matrum morbis esse frequentissimum. Inter quos morbos referendae sunt vehementes metror-

rhagiae, summae respirationis molestiae, saepe redeuntes convulsiones, extremus gradus hydropis, phthisis pulmonum, nullo modo cohibendus vomitus, genera quaedam morborum cordis, imminens apoplexia; alia. At non semper ad eum finem quo haec operatio tendit pulcherrimum pervenire eam doctores concedunt. Immo tam de matris quam de infantis vita infaustam prognosim multi proponunt: Capuron, Dubois, Gardien, Jörg de matre, de infantis autem vita Baudelocque et item Jörg.

At illis virorum clarissimorum Kelly, Denman, Barlow, Merriman, Ramsbotham, Ferrario, Vezin, et Kilian casus graviter repugnant; quin etiam in multis compluries operatio cum successu felicissimo instituta est. Nihilominus cum partus praematuri artificialis magis semper magisque cresceret auctoritas artis obstetriciae doctores Britanni, minoris semper infantis conservationem faciebant neque alium nisi matris sospitandae finem agnoscebant.

Itaque ipsius partus praematuri artificialis usu paulatim factum est ut iam in prima graviditate partum provocarent, hoc est ABORTUM ARTIFICIALEM moverent, quam rem non tamen prorsus novam fuisse ex abortus artificialis quam hic subiungam historia apparebit.

§. 7.

Apud Graecos enim et Romanos cum saepe abortus artificialis fieret tum abortum amovendi [1]) adhibebantur remedia, de qua re Moschion [2]). „Si condylomata, inquit, vel alia aliqua impedimenta in orificio matricis habuerit mulier et si concepit, melius est aborsoriis exterminare quod conceptum est, quoniam cum dies pariendi venerit periculum mortis mater infansque subibunt Theodori autem Prisciani haec sententia est: „Abortivum dare nulli fas est; ut enim Hypocrates attestatur tum duri reatus conscientia medicorum innocens officium non decet maculari sed quando matricis vitio aut aetatis propriae frequenter partus evenire foeminae periclitentur expedit praegnantibus in vitae discrimine constitutis unius partus saepe iactura salutem mercari certissimam.“

Denique ex veteribus Avicennam auctorem prodire iubeo, cuius haec verba sunt:

---

1) J. Fr. Rheinisch. De abortus procuratione. Wirceb. 1836.8.
2) Moschion. liber de passionibus. Cap. 43.

„Licere medicis partim inhibere, partim interimere conceptum in tribus casibus, unus est: quando mulier quae uterum gerit ita tenella est, ut timeatur ne sub partu occumbat; alter casus est: quando in utero morbus aliquis est, qui parit timorem, ne in partu mulier subrimatur; tertius est: quando debilis est vesica, ita ut timeatur ne ponderositate foetus disrumpatur vesica, ut ipsa disrupta mulier intereat.“ Recentibus autem temporibus Guilelmus Cooper [1]) in tanta pelvis angustia ut infans maturus nisi sectione caesarea vivus extrahi non possit, abortum artificialem adhibendum proposuit. Quae res in Britannia mox in usum conversa est publicisque scholis commendatur.

Germanicus eiusdem doctrinae auctor est egregius Naegele [2]) inter Gallos, Velpeau, Dubois, Cazeaux, Chaly, Jacquemier, in Italia, Raffael [3]), in Belgia, Vanhoevel [4]) et Seutin. Improbata

---

1) Medical observations and inquiries. Lond. 1772. 8. Vol. IV. p. 261.

2) De iure vitae et necis quod competit medico in partu. Heidelb. 1826.

3) Encyclographie des sciences médicales Avril 1845. p. 251.

4) Encyclograp. des sciences Oct. et Nov. 1850.

autem et reiecta est olim a Baudelocque [1]), Capuron [2]), clara Lachapelle [3]).

§. 8.

Tantum de historia. De re ipsa priusquam meas sententias expromam certamen illud gravissimum in Academia Parisiensi de abortu artificiali certatum [4]) paulo fusius in medium proferam. Lenoir enim medicus Parisiensis hunc quem infra enarrabo abortus artificialis casum ab ipso institutum Academiae quae suum de eo iudicium ederet proposuit.

Julia Gros 35 annos nata non primo gravida erat cum Novembri a. 1850 auxilium et consilium Doctoris Lenoir expeteret. Iam Iunio a. 1846 primo gravida in clinicum recepta erat, ubi Cazeaux qui tum temporis clinicum obstetricium interim regebat, in tertio graviditatis mense abortum artificialem instituendum iudicaverat.

---

1) Art des accouchements. Paris 1815. t. II. p. 285.

2) Médecine légale. p. 297.

3) Mémoires. Paris 1825. t. III. p. 432.

4) Gazette des Hopitaux Nr. 18. 27. 30. 33. 36. 39. 40. de l'année 1852.

Octo vel decem mensibus praeterlapsis in idem nosocomium rediit ac Dubois eandem operationem facere constituit. Et vero successit prospere. Haec a femina memorata movere de pelvis eius prava quadam constitutione suspicionem debebant. Atque exploratio deformatae columnae vertebralis, inflexae extremitates inferiores, mensura pelvis tam externa quam interna omnem dubitationem removerunt. Perstitit igitur ille in iudicio quod idem Cazeaux et Dubois ante habuerant, partum maturum per pelvim, cuius diameter minimus 5 centimetrorum erat, naturali quidem via fieri non licere, neque graviditate ad finem perducta quidquam praeter sectionem caesaream restare. Deterritus autem sectionibus caesareis fere non feliciter succedentibus et duabus quas femina iam sustinuerat operationibus incitatus Lenoir abortum artificialem facere constituit.

Ac feliciter res peracta est, quando 8 diebus post aegra prorsus sana clinicum reliquit. Hic est ille casus quem a Cazeaux postulante doctore Lenoir Academiae ad disceptandum propositum esse dixi.

Iam brevi diversorum virorum sententias diversas proponam.

Ac primum quidem Dubois abortum artificialem novum et in Gallia primum adhibitum esse negat;

quam laudem ipse refert ad Britannos. Porro de pelvis angustia abortum artificialem efflagitante nihil dubitandum immo quaerendum tantum de morbis matri per graviditatem accidentibus esse. Lenoirii quaestionem num foetus matris gratia abiici debeat, Dubois affirmandam ipse quidem censet, quamquam ipsius medici conscientiae rem committendam esse arbitratur. Iam extitit de eadem re verba facturus, Danyau, qui se ubi inter sectionem caesaream abortumque artificialem optio data sit Cazeauxii, Duboisii, Lenoiriique exempla sequi non dubitaturum fatetur. Nec tamen cogi ut ita agat medicum posse concedit. Recensitis deinde casibus, in quibus per abortum artificialem feminae vomitu, cui nulla ratio mederi poterat, laborantes sanatae sint comprobare non tam raram in gravidis et illius generis vomitum et eius sanationem esse studet.

Dance	casum	habuit	1[a])
Forget	„	„	1
Vigla	„	„	1[b])
Ashwell	„	„	1[c])

---

a) Gazette medicale de Strasb. Iuillet. 1847.

b) Gaz. des hopitaux.

c) On parturition. 194.

Davis	casum	habuit	1[d])
Johnsohn	„	„	1[e])
Lobstein	„	„	1
Chailly	„	„	1
Rigaud	„	„	1
Breschet	„	„	1
Maygrier	„	„	1
Danyau	„	„	1

Casus felices habuerunt operatione abortus artificialis: Churchill, Trousseau, Chomel[f]), Griolet, Robert Lee[g]), Danyau. Postremo disputationem suam in hanc sententiam finit: se nunquam Cazeauxio in illo vomitu operationem de qua agimus non esse adhibendam concessurum. Quamquam difficultate commodum operationi temporis momentum constituendi infaustisque eius casibus dubitationem quandam de adhibenda ea operatione sibi iniectam esse fatetur. Quam quidem difficultatem nisi usu superari non posse, in

---

d) Obstet med. II. 871.

Churchill's diseases of females 412.

e) The lancet. March 1838.

f) Klin. Vorlesung 1847.

g) Clin. midwifery 2. edit. Philadelphia 1849.

primis ita ut quemadmodum Dubois dixerit ex ratione non ex sensu agatur, neque in vomitu similibusque gravidae morbis minorem morum censorem esse quam in angustia pelvium oportere.

Iam gravissima omnium ac elegantissima de abortu artificiali oratio in Academia habita est a Béginco, quam paulo accuratius et plenius referre aptum visum est. Quaestionem igitur Academiae propositam orator non ad unam artem obstetriciam pertinere ait, sed inter gravissimas esse universae artis medicae si quidem rationem quam ad religionis civitatisque leges et ethica praecepta habeat consideramus, ipsiusque artis dignitatem et propagationem in societate humana intueamur.

Atque ex his potissimum rationibus de abortu arte provocato disceptandum esse: se vereri ne qui abortum artificialem faciant ius de vita morteque foetus adhuc in utero versantis discernendi sibi vindicent neve horribiles ex illa doctrina pronascerentur errores.

De qua re Cazeaux Béginium eo sedare studet, quodmedico priusquam operationem ipsam aggrediatur collegae consultandi sint. Bégin autem partus praematuri artificialis et abortus artificialis discrimen gravissimum urget, quando illo cum partus levetur tum et mater et infans servetur, hoc autem

foetus ut mater operationem prope semper mortiferam effugiat ultro necetur. Iam si ita se res habeat ut inde ab ineunte graviditate partum naturalem fieri non posse apertum sit, graviditatis decursum accurate observandum et si partus praematurus artificialis adhiberi nequeat faciendam esse sectionem caesaream.

Medicam enim artem adiutricem servatricemque esse nec unquam quicunque finis sit propriam caedem inter eius artis operationes referendam esse. Se quidem dolere Lenoirii casum ac vereri ne medici comprobata ab Academia illa actione nimis facile ad eam operationem adduci se paterentur. Cazeauxii argumenta se nullo modo posse probare. Quid enim velut de caedibus illis quas Sacra Scriptura ad adiuvandam bonam rem peractas commemorat dicam? Quid expeditiones de sacris Christianis factae, quid sacrificia belli ad foetum in utero matris latentem? Qui tandem religione humanitateque miseros humanarum affectionum excessus deplorantibus eisdem caedes foetus comprobari poterit?

Ut ex rationibus religionis Cazeaux se expediret casum quo femina sectionem caesaream in ipsa fieri denegat proponit ac quid iam medico e dicto illi non occides pendenti faciendum sit quaerit. Discussionem Bégin de abortu artificiali non in extrema graviditate

oboriri dicit, ac licet ineunte graviditate deneget femina sectionem caesaream, quando sensus maternus commutari fortasse possit illam negationem non debere medico sufficere. Cum chirurgus gravem aliquam operationem in aegro faciat non nisi huius aegri respici vitam. Quod secus esse in abortu artificiali. Inter duas enim vitas medico eligendum neque ei unquam ius de hominis vita seu morte discernendi concedendum esse. Neque vero ipsi matri optionem relinquendam esse utrum infans devoveatur an ipsi periculosissima adhibeatur operatio. Quin etiam iudicium illud contra naturam a matre factum non esse medico exsequendum. Postremo ne societatis quidem humanae de praestando hoc officio asciscì debere suffragia.

An abortus, pergit Bégin, nullo modo matri mortifer est? Innotuitne huius operationis conspectus? Non equidem admodum miratus sim si casuum qui infeliciter cesserint non valde exiguus sit numerus. An satis constat e pelvis mensura tertio vel quarto graviditatis mense facta certo quid quinque sexve mensibus interiectis futurum sit posse concludi? Nonne ipsa pelvis mensura errores quos evitare difficile sit procreare potest cum praesertim non admodum metiendi pelvim peritus sis? Nonne symphyses pelvis mutantur, nonne foetus

caput ita comprimi fortasse potest, ut si foetus vitae capax est partum praematurum artificialem facere liceat? Quae cum ita sint illam operationem nec comprobare meo plausu nec refellere animus est: immo cuiusvis medici conscientiae utra ratione utatur relinquo. Haec ille egregie. Dein Velpeau sectionem caesaream fere nunquam non mortiferam esse censet ac infantis mortem verisimillimam. Feminam conservari rationem socialem iubere, foetus autem utrum servetur necne prope perinde esse. Periculi feminae in abortu artificiali rationem eam esse, ut inter 50 vix una intereat.

Adelon cum Doctore Lenoir consentit nisi quod ipsi medico actionis rationem committendam esse arbitratur. Cui assentitur Cazeaux, qui quod Danyau non certis finibus suam sententiam circumscripserit conqueritur. Ipse nonnisi in impedimentis mechanicis abortum admittendum esse, neque vomitum a Danyavio allatum sufficere censet. In his enim sententiis perstat vomitum raro mortiferum esse, nec abortum hoc casu felici successu esse solere denique rectum operationis momentum statui non posse. Cazeauxio is qui deinceps verba fecit Dubois in eo consentit in angustia pelvis fieri abortum artificialem licere, in hoc autem a Cazeauxio discedit quod graviores per gra-

viditatem accidentes morbos cum alios tum maxime vomitum pro altera abortus indicatione accipit. Vomitus enim casus inter graviditatem non raros esse Dubois his quae infra scripsi exemplis Cazeauxi'o comprobare studet. Dubois enim de ea re ab his medicis consultatus est:

Fouquier	cui	gravida	mortua	mense	3°	vomitus	causa
Léotard	„	„	„	„	$2\frac{1}{2}$	„	„
Scellier	„	„	„	„	$4\frac{1}{2}$	„	„
Chomel	„	„	„	„	$3\frac{1}{2}$	„	„
„	„	„	„	„	5	„	„
Guersaut	„	„	„	„	4	„	„
Décombe	„	„	„	„	paucas horas post partum		
Focilhon et Chomel				„	3	„	„
Louis, Rostan, Bouillaud, Danyau, Baudelocque			„	„	3	„	„

In his casibus matri mortiferis omnibus quaevis medicamenta adhibita sunt sed frustra ut exitus docuit.

Porro illis quas protulit indicationibus abortum artificialem fieri debere his quae ipse cum medicis infra

nominatis observasse sese fatetur exemplis illustrat.

Scelliero casus obvenit ubi vehemens vomitus sexto mense oriebatur. Femina restituta infantem peperit qui credendus est vomitus tempore obiisse.

Foissac, Jobert, Danyau, Moreau similem casum observarunt ubi foetus inter vomitum septimo graviditatis mense et dimidio ut coniici licet mortuus, femina autem plene restituta est.

Danyau, Chomel, Brechen casui interfuerunt ubi post factum abortum absque operatione femina convaluit. Simile exemplum in clinico Parisiensi observatum est. Henry cum Duboisio abortum artificialem tertio graviditatis mense instituit quo femina mortua est.

Trousseau autem unum abortum feliciter a se factum commemorat. Quorum quidem casuum infelicium rationem Dubois in haesitatione priusquam ad ipsam operationem accedatur sitam esse vult.

Iam Cazeaux disputationi finem imponit, ipse in sua sententia perstans et ingeniosissime cur casibus a Duboisio in medium prolatis ipsius iudicium immutari non potuerit exponens. Haec est breviter a me relata Academiae Parisiensis de abortu disputatio una cum casibus abortus propter vomitum instituti a Duboisio

allatis qui quidem ad Lenoirii casum minus pertinent.

Propositionibus igitur de casu Lenoirii a diversis oratoribus diversis factis Academia hac illave propositione certius definita hac conclusione disceptationem finivit.

In casu Juliae Gros doctorem Lenoir exemplis a duobus medicis allatis compluriumque consultorum medicorum sententia nisum suo iure abortum artificialem instituisse. Ceterum Lenoirio Academia gratias egit ob gravem illam quam deinceps in publicum emisit relationem.

§. 9.

De re universa autem Academia certi quid statuere intermisit, idcirco ut puto quod duas quae huc pertinent indicationes pelvium angustiam et morbos feminae non satis accurate distinxerunt. Quarum indicationem quod Galli Britannique priore facilius ad abortum artificialem adduci sese passi sunt, in eo positum esse videtur, quod sectio caesarea Parisiis his 64 annis, in Britannia autem aliquando per 80 annorum spatium ne semel quidem prospere facta est. Contra apud Germanos haec operatio et est antea

saepe cum successu instituta et hodie prospere non raro instituitur. Praeterea a sociis Academiae vitae matris et infantis aestimatae ac quasi ponderatae sunt quod fieri non debuit. Sed haec hactenus.

§. 10.

Eadem res postea in Academia Belgica [1]) disceptata est de qua Belgici medici quid statuerint ex duobus Cl. Huberti libris didici. Quorum librorum breviter infra exhibebo conspectum. Priore igitur libro [2]) Hubert abortu breviter descripto in spontaneos et artificiales eum dividi memorat. Saepius eum in pravos fines fieri quam rem exemplis quibusdam illustrat historicis, verum etiam consilio therapeutico institui tum nimirum cum femina e magno discrimine vitae quale vel retroversio uteri nullo modo repellenda est, eripienda sit. Dein Cooperum memorat Huntero ut abortum artificialem quo sectio caesarea evitaretur in magna pelvis angustia instituerct suasisse. Exinde quomodo

1) Bulletin de l'Académie royale de Médecine de Belgique. tome XI. Nr. 6.

2) De l'avortement médical. Bruxelles 1852.

abortus paulatim in Britannia in communem usum versus sit, in Germania cum ab initio acres adversarios habuerit postea multos nactus sit cultores, dein quem Raffaele in congressu litterario [1]) anno 1844 felices abortus successus referens plausum tulerit, postremo quomodo eadem actio in Belgica quoque paulatim accepta et culta sit enarrat. Denique ad rem ipsam aggrediens licet graves eius operationis auctores exstiterint se tamen non posse fatetur quin suas de ea re dubitationes proferat. Itaque primum de fine abortus artificialis deque eius successibus disputat. Casum ponit pelvis ita coarctatae ut aut abortus artificialis aut sectio caesarea facienda sit. Quaeritur igitur quam rationem periculum ex illis operationibus matri oriundum ad infantis periculum habeat. Ex calculo Hubertiano sectione caesarea duarum feminarum una, et decem infantium novem servantur.

Quocum abortus artificialis successus componit. Itaque infantem quod attinet nisi aborta proprie necatur tamen quominus porro vivat impeditur. Feminarum autem, si quidem partus praematuri artificialis et abortus artificialis prognosis iuxta habetur, viginti moritur una.

Iam eo unde exorsus erat redit ad eum scilicet casum

1) Encyclograph. s. scienc. méd. avril 1845. p. 251.

quo absque sectione caesarea partus maturus fieri non potest. Illa igitur conditione feminae aut partu maturo sectio caesarea perpetienda (hoc est ipsi vitae mortisque discrimen subeundum est, infantis autem vita ad mortem eam rationem habebit ut ex decem infantibus novem moriantur) aut abortus artificialis admittendus est (hoc est infante certo amisso ipsa inter viginti casus undevicies felici exitu gaudebit). Quaeritur igitur an illud arbitrium penes feminam sit et si est num medicus exsequi illius voluntatem debeat. Quae quidem quaestiones duae licet saepius confusae sint admodum inter se distant. Iam Hubert eas quaestiones ex rationibus

a) positiva,

b) naturali,

c) morali

considerat, atque argumenta ex illis rationibus ad abortum artificialem adiuvandum prolata disceptat, prompta illa quidem

1) ex analogia,

2) ex consilio,

3) ex arbitrio quod feminae concedendum sit,

4) ex foetus gravitate minima sive ex matris longe maiore.

Porro videndum esse quoad respicienda sit femina tanquam iure legitimo usa aut quoad certaminis moralis ut ita dicam quod femina certat ratio habenda sit medico. Tanquam fundamentum argumentationis hanc quaestionem proponit utrum conceptionis productum, ut breviter dicam, cum gravida totum efficiat an productum separata natura sit? Si separatum est habeatne iura quaeque eorum iurum natura sit?

E quibus haec ille conclusit:

1) Foetum esse ens humanum, ut cum philosophis loquar;

2) Iura de vita sua habere.

3) Ea iura inseparabilia esse ab ipsius natura humana.

4) Neque de iuribus ab alio pendere neque ea, sive familiae sive societatis gratia extingui debere. Plenam Huberti disputationem hic referre longum est, relego igitur lectores ad ipsius librum: de l'avortement médicale. Brux. 1852. Sententias tantum illius viri de abortu praecipuas hic expiscar:

1) Argumenta quibus ad evitandam sectionem caesaream abortu artificiali utendum esse comprobare student multum abest ut firmis fundamentis nitantur.

2) Hoc contra valent ut abortum artificialem nullo pacto posse illo consilio institui appareat severe quidem observato articulo 317 codicis penalis.

3) Commodis realibus ut breviter dicam hanc operationem vix quidquam praestare sectione caesarea.

4) Rationem medicam quod attinet hac operatione alter animans abiicitur ut conservetur alter cuius non minus vitae mortisque discrimen erat.

5) Porro iure positivo actio est in qua femina rationibus ethicis victa est neque vero legitime defendenda actio.

6) Dein ex iure naturali officia materna operatione illa violantur.

7) Ex praeceptis ethicis impetus est in iura aliena.

8) E iure naturali et rationibus ethicis actio est illegitima cum femina si sponte concepit sortem ipsi imminentem cognoverit.

9) Certaminis moralis exquisitionem, nonnisi feminae admittendam esse.

10) Etiamsi abortum artificialem in se fieri iure pati possit tamen non simul peractio eius operationis medico legitima est.

Hae sunt H u b e r t i sententiae in priore eius libro de abortu artificiali propositae.

Iam similiter e secundo eius scripto quod proprie orationem ab eo die 30 Oct. 1852 in Academia Bel-

gica habitam complectitur, summam breviter transscribam [1]).

§. 11.

Abortum igitur artificialem aut ad evitandam sectionem caesaream (avortement préventif) aut ad effugiendos adversos qui in graviditate accidunt casus (avortement répressif) fieri ait.

De priore abortus artificialis fine in Academia Didot dixerat ita ut abortum prohibitivum quem Hubert dicit reiiceret. Hubert infantis iura esse ad vindicandam suam vitam affirmat.

Item matrem erga infantem quem utero fert officia habere ac simulatque infantis iura invaserit ipsius officia materna violabit.

Altero utro autem consilio abortus instituitur semper innocens animans interficitur. Foetus autem necatio nullo modo probari potest quamquam etiam illegitimae actiones a societate humana interdum ignoscuntur. Quam rem compluribus argumentis Rossii

---

1) De l'avortement provoqué et du foeticide dans l'intérèt de la femme. Bruxelles 1852.

affirmat. At vero in haemorrhagiis non cohibendis, in gravissimis convulsionibus, in vomitu non sedando, in retroversione uteri non repellenda, denique in omnibus casibus ubi mater abortu artificiali non facto perire potest ethicorum praeceptorum violatio minima est. Nam 1) femina sine ipsius culpa inter duo mala versatur 2) ingens malum evitatura est quoniam abortu non peracto mors prope certa est, 3) Malum quod ipsa affert pertenue est cum absque hoc malo foetus una cum ipsa periturus sit. His addendum esse sub eiusmodi conditionibus mortem foetus iam statim ab initio verisimilem, saepissime certam, et in posterum prorsus indubitatam esse. Haec cadunt etiam in eum abortum artificialem qui ad effugiendam sectionem caesaream instituitur. Femina enim hoc casu magnum malum aut ipsa perferre aut alii afferre cogitur. Iam non est illud quod ipsi perpetiendum est malum certa mors. Neque magis quidquid adhibetur infantem moriturum esse constat. Animans igitur innocens humanus devovetur cum ex d e c e m, n o v e m possint conservari. Ac periculum vitae maternae sectione caesarea allatum eam rationem habet, ut duarum feminarum una vitam servet. Quae cum ita sint talibus conditionibus praecepta ethica disertissime abortum fieri negant. Qua re si medicus

abortum prohibitivum facere non dubitat actionem perficit illegitimam. Dein parentum absolutum esse in liberos arbitrium negat. Immo auctoritas paterna custos tutrix conservatrix est ac etiamsi subinde cum severitate exerceatur valetudinem liberorum tam physicam quam moralem spectat. Matri sectionem caesaream repudiandi ius concedendum est neque tamen illa reiecta abortus artificialis ut in se instituatur iure potest postulare. Denique de discrimine quaerit quod inter neopartum et etiam pariendum infantem versatur. Quod discrimen et ingens esse et in libertate positum esse Didot [1]) affirmaverat. Contra quem Hubert foetum quoque et propriam vitam et in vitam suam iura habere ait. Ut igitur nemo tam insanus sit qui quo matrem a certa morte tueatur neonatum infantem interficiat, ita ne foetum quidem extinguere licere quo mater operationem effugiat ne ipsam quidem semper mortiferam. Nimirum perinde esse utrum infans conspectus an non conspectus interficiatur. Neque vitae et infantis et matris gravitate ponderandae sunt. Quodsi feminae ius infantem suum devovendi adimitur

---

1) Bulletin de l'Académie royale de Medécine de Belgique. t. XII. Nr. 1.

nec tamen sectionis caesareae discrimen subitura est, duae quidem vitae intereunt, quarum medicus nullo modo dicendus est duplex homicidium fecisse. Neque enim alterum nisi legitima via servare licet. At non ita sectionem caesaream [illegible] in feminae consecutaram esse constat.

[illegible] caesaream non superabit, ne[illegible] imputandum est, qu[illegible] tuerit. Postremo in casibus per graviditatem accedentibus quibus et mater perire potest et foetum durante graviditate moriturum esse fere certum est, abortu artificiali instituendo fere non violari praecepta ethica concedit. Neque tamen se ut medicum catholicum qui suum sensum altiori auctoritati subiiciat abortum artificialem admittendum concedere fatetur. Abortum autem prohibitivum in angusta pelvi instituendum reiiciendum esse sibi constat.

§. 12.

Hucusque multorum virorum eximiorum de abortu sententiis recensitis, iam quid ipse de eodem argumento sentiam in medium proferam. Atque ut a certo quodam argumentationis fundamento proficiscar, hanc sententiam ad quam saepius recurrendum erit praemitto: Medico

TANTVM SERVANDUM ESSE QUANTUM PER ARTEM SUAM, ADIUTRICEM ILLAM ET SOSPITATRICEM VITAE HUMANAE LICEAT. Quam quidem sententiam si probe tenebis, nunquam quid quovis casu fieri et liceat et oporteat dubitabis. Exemplo rem illustrabo.

Veniat igitur ad me gravida cuius tam angusta pelvis sit ut de partu praematuro artificiali ne cogitari quidem possit.

Quare cum vitae discrimen per sectionem caesaream ipsi imminens nolit subire, de amovendi foetum ratione sciscitetur. De quo casu quid statuendum sit non difficile est discernere ei qui illam quam proposui sententiam sequitur. Videamus igitur quantum humanae vitae per abortum artificialem, quantum per sectionis caesareae usum servetur.

In 100 sectionibus caesareis matrum infantiumque vitas si computaveris auctore

Kaysero praeterpropter 108
Michaële „ 117
Kiliano „ 143

denique secundum 8 quos medici Aquisgranenses commemorant casus „ 187 vitae conservantur.

Abortu autem artificiali si moriundarum matrum cum Huberto eam rationem accipimus ut ex 20 serventur 19 ex 100 operationibus 95 vitae prodeunt. Ut his rationibus collatis non dubitaveris profecto abortum artificialem illo quem finxi casu reiicere, nimirum ea sententia, ex qua pendet haec omnis argumentatio nisus.

§. 13.

Iam ut via et ratione pergamus quoniam abortu artificiali foetus abiicitur, de ipsius foetus natura iuribusque quaerendum est. Ac naturam quod attinet equidem multum abest ut in Bichati vel Velpeavii sententias pedibus eam. Quorum ille foetum vivum quidem sed non animatum esse affirmat, hic non multum a plantarum natura distare, immo plantae parasiticae quodammodo vices sustinere. Haec enim qui probaverit in casibus similibus ei quem supra significavi non poterit abortum artificialem unquam nisi ipsius officio violato denegare. Quis enim, qui sapit cum humanam vitam servaturus sit dubitabit plantam conterere aut qui tandem animalis vita conferenda cum vita humana? At vero qua ratione homo ad Dei similitudinem creatus ex animali aut plantari quadam vita prodierit me ne-

scire fateor. Nam etiamsi in ambiguo sit quando foetus animatus esse incipiat (mihi quidem dubium non est quin non prius exstet quam animatus sit) tamen ubi primum foetus a vita materna secretus suam vitam vivere incepit, humanam vitam non animalem aut plantae similem degit.

§. 14.

Hoc autem ens humanum, quale foetum esse intelleximus, inde a conceptione non iuribus quibusdam caret. Quae quidem iura nec ex voluntate sive parentum sive aliorum quorundam hominum pendent [1]), nec temporis spatio vel alia quadam ratione poterunt amitti. Quin etiam ne infanti quidem ipsi si voluntatem aperire posset suam, in matris aut ullius hominis gratiam cedere de iuribus suis licebit. Itaque abortum elicere medicus vetatur aliis quidem rationibus: quae num superentur ratione medica videndum est. De quo ut recte statuatur age certum quendam casum proponamus. Medicus ad gravidam 3. 4. 5. 6. mense

---

1) Arens. Cours de droit naturel. p. 116. 120. 459. 448. 397. 113. 125.

arcessitur; illa adeo morbo affecta est ut nisi amota celeriter morbi causa succubitura videatur. Iam exploratis morbi notis in ipsa graviditate morbum situm esse pro certo affirmandum est. Quid igitur agendum? Num medicus tanquam tranquillus rerum spectator mulierem una cum ipsius infante moribundam aspiciet, an foetum quam morbi causam esse intellexit ut extincta una vita servetur altera amoturus est? Talibus casibus non videtur mihi quidem dubitandum esse, quin ea ratio quam posteriorem posui medico sit sequenda. De qua tamen re quid ius, quid praecepta ethica?

§. 15.

In hac disputationis parte Cazeauxium sequar. Primum igitur quid de abortu ius penale praecipiat, videamus.

Das Verbrechen des Kinderabtreibens (procurati abortus) ist rechtswidrige vorsätzliche Einwirkung auf die Leibesfrucht einer Schwangeren, welche eine frühzeitige Geburt und den Tod des Kindes zur Folge hat[1]).

---

1) Lehrb. d. gem. in Deutschl. gült. peinl. Rechts. von Dr.

Zum Thatbestande gehört 1) eine auf die Leibesfrucht schädlich einwirkende Handlung, jene Einwirkung geschehe nach mechanischen oder dynamischen Gesetzen. 2) Dass hierauf die Geburt des Kindes frühzeitig d. i. vor dem Ablauf von neun Monaten erfolgt.

3) Dass das Kind, in Folge der zu frühzeitigen Geburt oder der im Mutterleibe erlittenen Misshandlungen entweder todt zur Welt kommt oder bald nach der Geburt stirbt. 4) Rechtswidriger Vorsatz, nämlich die, wenn auch nicht gerade bestimmte Absicht, die frühzeitige Absonderung des Kindes von der Mutter zu bewirken.

Zum Thatbestande des Verbrechens gehört [1]) als Gegenstand der Verletzung ein Wesen, welches die Eigenschaften und Rechte des Menschen hat. Kein Unterschied der Religion der Abkunft, des Standes u. s. w. kommt in Betrachtung. Auch an einem schon lebensfähigen Embryo wird dieses Verbrechen begangen; nicht aber an Todten, Missgeburten oder

---

Anselm Ritter v. Feuerbach. Giessen 1847. pag. 626. §. 332.

1) L. l. §. 207.

oder an solchen, welche gänzlich vom Schutze des Staats ausgeschlossen sind.

Haec si unice respicimus profecto affirmandum est nunquam licere medico abortum artificialem adhibere. Atque si corporis laesiones, truncationes cuiusvis generis puniri consideramus: (Körperverletzung [1]) ist jeder, nicht in tödtlicher Absicht unternommene, das Wohlbefinden störende, rechtwidrige Angriff auf den Körper eines Anderen, ohne tödtlichen Erfolg medico qui quidem iuris verba sequitur ne operationibus chirurgicis ut quae nonnunquam sive graviorem reddant morbum sive mortem adducant uti licebit.

At non legum verba sed legislatorum sententia respicienda est. Itaque vel castrationem quae ex sententiis ICtorum hodie maxime vulgatis gravissima corporis violatio existimatur; si ex rationibus therapeuticis adhibetur non erit qui puniendam arbitretur. Quippe de voluntate agentium non de actione tantum ipsa quaeritur.

Dr. C. J. A. Mittermaier [2]) dicit:

---

1) Feuerbach pag. 408. §. 244.

2) Lehrb. des Peinl. Rechts von Feuerbach. pag. 631.

Zu beachten ist, dass es auch Fälle geben kann, wo der Geburtshelfer aus guten Absichten und weil grösseres Uebel vermieden werden muss, eine Frühgeburt bewirken kann.

Qua re ubi medicus abortum artificialem voluntate servandi humanae vitae tantum, quantum servare licet, instituit haec operatio non magis legum poenae obnoxia est quam quaelibet operatio chirurgica: ac si per operationem nescio quo casu ipsa hominis curandi vita perditur ut mihi ipsi in amputatione cruris accidit tamen lege medicus non ut sceleratus ac reus supplicio afficietur. Contra si mala mente abortum artificialem medicus adhibuit, est vero reus et puniendus.

Quod morbis gravioribus abortum indicari censeo cum Cazeauxio consentio cum hoc casu abortum artificialem ad eas operationes pertinere censeam quae velut amputationes et castrationes nunquam iudicio possint puniri.

§. 16.

Restat ut in rationes morales investigemus: de quibus quid statuendum sit in tot sententiarum discrepantiis difficile dictu est. Etenim hi quocumque rem

convertas occidere quemquam licere negant. Cazeaux [1]) ex his rationibus ita rem disputavit. Sententiae in tres sunt distribuendae. Alteri qui quidem pauci numero sunt semper si ita curatur salus matris sibi licere statuunt cum Tertulliano foetum extinguere. Alteri qui magis animi quam corporis vitam respiciunt foetum occidi modo antea baptizatus sit permittunt. Tertii denique qui sunt longe plurimi infanticidium etiamsi mater maiori periculo exposita sit concedi nullo pacto posse aiunt.

Atque hi quidem e Sacris Libris asciscunt dicta:

I. Non occides.

II. Non facienda mala ut eveniant bona.

Quorum prius quod attinet Cazeaux verba non occides non esse arctissimo sensu accipienda docere ait omnem Scripturam Sanctam; esse enim homicidium ubi cum mala mente occidatur. Utitur autem his exemplis:

Depuis Moïse, qui, pour venger un de ses coréligionnaires des insultes d'un Egyptien, tua celui-ci et cacha son corps dans le sable, ne voyons nous pas Phinéès, petit-fils du grand prêtre Aaron, surprenant un enfant d'Israël dans la couche d'une

1) Gazette des Hopitaux. Tevr. 1852.

femme madianite, les percer tous les deux du même coup, et cependant Dieu récompenser ce double homicide en délivrant les Hébreux de la plaie dont ils avaient été frappés. Le législateur des Israélites n'ordonne-t-il pas à ses soldats le massacre des Madianites vaincus, massacre dont les filles vierges sont seules exceptées. Enfin, après le meurtre d'Holopherne, Judith n'entend-elle pas Osias, prince du peuple d'Israël, s'écrier : vous êtes celle que le Seigneur a bénie plus que toutes les femmes qui sont sur la terre.

Atque in sacra scriptura complures casus similes extant.

Sed quaeritur de altero dicto : non mala facienda esse ut eveniant bona. Quam sententiam quo refutet bella pro sacris christianis suscepta commemorat.

Bella nimirum fuerunt quorum et acerba quidem multorumque malorum efficacia, tamen finis erat ut evenirent bona.

Les théologiens distinguent le meurtre qu'ils apellent DE DROIT PUBLIC et l'homicide commis D'AUTORITÉ PRIVÉE.

Abortus artificialis qui eo consilio usurpatur ut servetur mater non potest haberi ACTE D'AUTORITE PRIVEE.

Medici, familiae, nonne constituunt quasi tribunal quoddam, cuius sententia sancta est, nonne notas gerit utilitatis publicae.

Immo si medicus feminam non servat ne occidat infantem nonne in illum convenit haec altera sententia: QUEM NON SERVASTI DUM POTUISTI, ILLUM OCCIDISTI.

Nimirum occidit mulierem quam potuit servare.

Quid igitur lex illa decalogi sexta ad medicum, qui scilicet observata hac lege pro una duas vitas nterimet?

Haec est ratio quam ego ubi huius modi casus mihi obveniunt sequar constanter.

§. 17.

Iam ad gravissimos qui per graviditatem accidunt et abortum artificialem ad conservandam matrem indicare possunt morbos recensendos pergam.

1) Magnae metrorrhagiae gravidarum quales accidunt in morbis uteri.

2) Vomitus nullo modo cohibendus.

3) Molestiae asthmathicae gravissimae.

4) Convulsiones gradus periculosissimi.

5) Gradus maximus hydropis.

6) Phthisis pulmonum cuius e causa collapsus magnus virium oritur.

7) Retroversio uteri totalis.

8) Incarceratio uteri.

9) Tumores uteri.

10) Cancer uteri.

11) Inflammationes uteri.

12) Morbi ovariorum.

13) Affectiones cerebrales.

14) Quaedam formae morborum cordis, alii.

In his casibus proponendus quidem partus praematurus artificialis; sed si hae res incidunt in priore graviditatis tempore abortus artificialis instituendus.

§. 18.

Nunc restat ut pauca de medicamentis sic dictis abortivis dicam.

Diu admodum medici dubii erant, utrum medicamenta specifice ac directe abortum afferre possent nec ne, sed nunc fere omnes persuasi sunt medicamenta quidem abortiva specifica non existere, attamen rationes esse quasdam, quibus directe abortum procreari posse. Et medicamenta et has rationes commemorare propositum mihi est.

Ad medicamenta per ambages abortum prolicientia

pertinent: herb. Sabinae, Crocus, Myrrha, fol. et baccae Lauri, herb. Artemisiae, Chamaedrios, herb. Marrubii, Cantharides;

Remedia vomifica ut Nux vomica, Tartarus Stibiatus, Zincum sulph.;

Alvnm moventia ut Aloë, rad. Jalapae, Scammonium, Gummi-Guttae, Elaterium, fructus Colocynthidum, Helleborus, Veratrum, Gratiola;

Emmenogoga inter quae drastica iam a me dicta, tum Secale cornutum, Asa-foetida, Gummi-Galbanum, radix Valerianae, Castoreum, tinct. Cannabis indic. Aqua fervida, alia.

In nonnullis regionibus Aceto vini plebs utitur. Ipse filiam novi quae sapone nigro ad abortum provocandum utebatur.

Ad rationes ad abortum sine dubio proliciendum inde ab antiquissimis temporibus adhibitas pertinent: efficacia pessaria ex acribus materiis at aromatibus confecta. Haller de pessario quodam ex Melle, Helleboro sive Euphorbio parato dicit et de acu enarrat [1]) qua Italae sibi excitarent abortum. Instrumentum est

---

1) cf. Eius Vorles. über gerichtl. Arzneik. v. Weber. herausg. I Bd. p. 148.

acui crinali simillimum quod per orificium uteri exacte inducunt, quo embryonem in utero necant. Metzger [1]) instrumentum quoddam embryosphacten dictum adducit, quo instrumento meretrices Parisienses [2]) et Berolinenses [3]) etiam nunc utuntur. Adstrictio vehemens corporis strophio, saltatio nimia, venaesectiones.

§. 19.

Abortus autem artificialis consilio therapeutico instituendi rationes hasce laudabo.

a) Primum locum obtinet Scheeliana [4]) efficacia certissima. Quam rationem in operatione partus praematuri allatam in paracentesidi amnii positam esse dixi: Aptissime huic operationi Wenzelianum a d'Outrepont emendatum instrumentum adhibetur.

---

2) cf. Eius System der gerichtl. Arzneik. 3 Abschn. 2 C.

3) Parent-Duchatelet. De la prostitution dans la ville de Paris. Paris 1836.

4) H. Behrend. Notizen über das Bordell- und Hurenwesen in geschichtl. hygien. und sanität. polizeil. Hinsicht besonders in Bezug auf Berlin. Henke. Zeitschr. f. d. Staatsarzn.-K. Bd. 42. S. 53.

5) Ej. Comment. De liquore amnii etc. p. 74.

Cuius generis instrumentum si forte desideratur eius loco specillo longo valido uteri poteris. Operationem simul addita fusa instrumentorum descriptione fuse explanavit Cl. Kilian [1]. Tamquam praeparatio huius operandi methodi Bruninghauseni ratio vaginam et hanc solam [2]) quidem ad aperiendum os et canalem uteri obturandi commendanda est.

b) Altera methodus eadem operatione praeparativa facta nominanda est ea quam Bruninghausen anno 1820 primum [3]) in partu praematuro artificiali proposuit, quamque Kluge in communem usum convertit. Quae quidem methodus eo continetur ut forcipe longo inflexo per canalem colli uteri et per os uteri spongiam compressam conica forma circumcisam tam alte quam fieri potest promoveas eaque ibi relicta dolores excites. Vagina deinceps spongia vel linteolo carpto obturanda est et ante genitalia ligamen ponendum est forma T [4]).

---

1) Kilian's Operationslehre.

2) Vergl. Kilian's Aufsatz in d. Rhein. Monatschr. f. prakt. Aertzte. Jan. 1850. p. 9. seq.

3) Vergl. Kilian's Operationsl. 2te Ausg. p. 292. Note 1.

4) Betschler's Beschreibung dieser Operation in Mende's Beob. u. Bemerk. Bdch. III. p. 43. seq. — Maye's Dissert.

c) Methodum tertiam a Bongiovannio [1]) in partu praematuro artificiali propositam et a Ramsbothamio [2]) ad perfectionem adductam laudo quae in secale corn. ordine porrigendo constat.

Churchillio auctore Ramsbotham vicies sexties eam methodum adhibuit et feliciter semper partum provocavit. Ramsbothamii ipsius praeceptum hoc est;

℞ secal. corn. recen in pulv. red. ʒIII
Aqua fervid ℥VIII
infund. vase leviter clauso per semihoram.

℞ liq. colat ℥VIIß
acid sulph. dil ʒß
syrupi ʒII
spirit. Cinnam. ʒII
M. Consumantur cochl. II 4ta quaque hora.

Ej. Adolph. De partu. praem. art. effic. Diss. in Vratisl. 1831. 8.

1) In den Annali universali di Medicina 1827. — Vergl. Allgem. Repertor. d. gesammt. deutsch. med. chir. Journalistik 1828. Heft 7. p. 137.

2) Ej. Principles and Practice of Obstetric Medicine and Surgery etc. London 1841. 8. p. 379.

d) Methodus quarta Schweighäusenii et Kiwischii quae valida bis per diem mane et vespere in segmentum uteri inter 8—10 minuta continuo efficaci infusione aqua + 28° R. usque ad + 32° R. composita constat. Quomodo saepius iam post 12 horas interdum post complures dies dolores exsistunt.

Ut eius efficaciam nimis tardam esse appareat.

e) Quintam methodum a cl. Kiliano [1]) propositam electricitatem magneticam memoro, quae ad partum praematurum artificialem in quo iam felices successus nacta est multo mihi aptior esse videtur quam ad abortum artificialem, quia et huius efficacia tardius consequitur. Qua re ubi periculum in mora est, adhibenda non erit.

f) Introductio in vaginam calida aqua repletae vesicae vituli, cuius contentum saepius renovatur, quae

---

1) Ueber geburtsh. Studium. Bonn 1846. 8. p. 65.
Die Operation geschah am 2ten Aug. 1844. und glückte nur unvollkommen. Einen glückl. Fall erzählt Hoeniger und Jacoby (die nach Dr. Schreiber's Anregung handelten) in d. Neuen Zeitschr. f. Geburtsk. Bd. XVI. p. 424 seq. Schreiber in der N. Zeitschr. f. Gebtsk. B. XIV. Heft 1. p. 57 seq.

methodus in partu praematuro artificiali a Hütero [1] proposita est et mera diligens vaginae obturatio linteolo carpto facta a Schöllero in partu praematuro artificiali commendata ad provocandum abortum artificialem adhiberi possunt.

Omnium quas hic memoravi methodorum certissima et cuius efficacia citissima sit Scheeliana mihi videtur. At etiam certior mihi harum trium operationum Schoëllerianae, Scheelianae, Bongiovannianae coniunctio videtur.

Praeterea haec a Viguier in partu praematuro artificiali adhibita methodus ad abortum artificialem provocandum admodum mihi videtur commendabilis scilicet ut per tubulum elasticum Aqua picis calida 150 gram. inter parietem uteri et amnion inspergatur [2].

---

1) l. c. In Daniel's Diss. p. 17. 19. 30. und in d. N. Zeitschr. f. Gebtk. Bd. XIV. 1. p. 126 seq.

2) Bulletin général de Thérapie 30 Iuillet 1851.

VITA.

Ego Guilelmus Broes van Heekeren natus sum Harlemi die II mensis Augusti anni MDCCCXXIX. patre Jacobo Joanne et matre Elisabetha Petronella Anna e gente van Petersom Ramring. Fidem confiteor evangelicam.

Primis rudimentis domi institutus Gymnasium Harlemense quod rectore cl. J. Venhuizen Peerlkamp floret adii. Unde dimissus anno MDCCCXLVII ut arti medicae operam navarem Marburgum me contuli, ubi a rectore magnifico Ill. C. Büchel in civium academicorum illiusque artis studiosorum numerum receptus sum. Autumno anni MDCCCXLVIII. studia continuarem Bonnam petii, ibique rectori magnifico Ill. Loebellio nomen dedi et ab Ill. Harless spectatissimo t. t. medicorum ordinis Decano in album ordinis medicorum inscriptus sum.

Professores clarissimi et Marburgenses et Bonnenses quorum scholis exercitationibusque practicis per quinque annos deinceps interfui, hi sunt: Bunsen, Fick, Gerling, Herold, H. Nasse, Albers, van Calker, Harless, Kilian, Mayer, F. Nasse, Naumann, Nöggerath, Treviranus, Weber, Wutzer.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias habeo quam maximas semperque habebo, imprimis vero praeceptori dilectissimo ill. Kilian, qui mihi in clinico obstetricio assistentis secundarii munere per 8 mensium spatium fungenti egregiam semper praestitit liberalitatem summamque comitatem. Neque silentio praeterire licet commercium amicale, quo per hos menses in clinico me coniunctum esse gaudeo cum cl. Dr. Sack, cuius memoriam grato animo semper servabo.

THESES.

I. *Excisio ad polypos uteri curandos plerumque ligaturae praeferenda est.*

II. *Mesmerismus e territorio artis medicae minime reiciendus.*

III. *Medico non licet infantem occidere, matre, sectio caesarea ut perficiatur, non consentiente.*

IV. *Egregie Naegele: „Die Aufstellung gelauteter Ansichten vom natürlichen Hergange der Geburt, ist die wahre Grundlage aller rationelle Hülfsleistung bei Störungen dieser Funktion.“*

V. *Ad curandam columnae dorsalis iucurvationem apud iuniores, dissuadendae mihi videntur loricae (Corsette) suadenda vero frequens musculorum dorsalium exercitatio.*

VI. *Omnium artis medicae disciplinarum ars obstetricia gratissima.*

VII. *Melius est nimis cito quam nimis sero forcipem applicasse; melius, decies incerta necessitate operasse, quam semel urgente periculo, id neglexisse.*